DE
OPII IN MORBIS PSYCHICIS USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-PSYCHIATRICA
QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO ALEXANDRO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI
RITE OBTINENDIS
DIE IV M. JUNII A. MDCCCLXI HORA XI
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
JULIUS WEBER
VOELKERSHUSANUS.

Adversariorum partes susceperunt
E. FROHWEIN, philol. Stud. et H. GOULLON, med. Dr.

JENÆ
TYPIS RATZII.

PATRI·

OPTIMO· CARISSIMO·

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

I. Prolegomena.

Opium ut medicamentum universum jam apud antiquos homines notum fuisse et adhibitum videtur. Quod qui laudarent postero quoque tempore exstiterunt medici, ut Sydenham, de la Boë Sylvius, alii. In morbos psychicos autem XVIII saeculo ineunte esse collatum videtur, ex quo quidem tempore contra illos commendationes proficiscuntur.

Valsalva et Morgagni homines Itali illo contra paroxysmos maniacos usi sunt, quorum prior spe non destitutum sese esse negat. In iis potissimum animae perturbationibus, quarum causae quaerendae sint in nimio animi ardore, sumatur Cullen suadet, quem multi Angliae medici sequuti magnis saepe opii dosibus sunt usi. Parketer tum potissimum dandum esse existumat, quum sit melancholia tranquilla deminuta nervorum functione, cautionem autem adhibendam, cum sit mania; quod quidem fecerunt DD. Sutton et Pery atque maxime tum, ubi aegroti insomniis fatigabantur. Atque hic illud ordinavit *quotidiana* 64 *granorum dosi.*

Illud licet inprimis Germanici Anglicique medici morbis psychicis adhibuerint, tamen non ignotum erat Francogalliae quoque medicis. Esquirol haecce narrat: „*Une jeune personne aliénée ayant été guérie*, *après avoir avalé un onguent qui ne contenait pas moins de vingt-quatres grains d'opium*, *l'attention des praticiens se dirigea particulièrement sur les effets des narcotiques. Ces medicaments ne conviennent pas lorsqu'il y a pléthore.*“

Nuper in Francogallia illo usi sunt inprimis Baillarger et Forget, professor Strassburgensis, atque Michéa quae ex observationibus experimentisque perceperat ea litteris divolgavit. Qui quidem ordinavit opii usum (ut omnium narcoticorum) dosibus sensim progredientibus, postea autem ad tempus intermissum spatio octo dierum vel duarum quattuorve hebdomadum interjecto semel atque iterum ac saepius recepit. Solebat dosin augere, dum inciperet intoxicatio. Quum apparuerunt voluntas vomendi, vomitus ipse, sopor, vertigines, siccitas faucium, obstructio continua, alia, illud aut dare statim desiit aut doses gradatim deminutas ordinans sensim reliquit. Tribus mensibus post, si nihil profecisset, plane misit.

Dr. Legrand du Saulle de opio acutae potissimum maniae adhibendo fusius scripsit libellum, in quo, quae hoc in genere in nosocomio publico quod est in urbe Dijon comperit duce Dumesnil doctore deposuit. (*Annales medico-psychologiques tom. V*, 1859). Differt ejus ratio a ratione, quam Michéa sequitur: opium enim maxime maniae acutae recentique adhibendum esse putat: nominat autem simul eventus, qui in casibus maniae chronicis diutius permanentibus observati sunt. Quibus conditionibus opium dandum censeat, ex ipsis illius verbis cognoscatur, quae haud indigna sunt in quibus aliquantulum temporis haereas. „*Seulement*, inquit, *avant d'arriver à la citation de mes exemples cliniques, je tiens à poser ce principe important, à savoir, que pour moi le manomètre de la médication, la soupape de sûreté, si je peux me servir de cette expression, réside dans la surcroît d'agitation et dans l'exaspération de tous les symptômes maniaques, sous l'influence de l'agent narcotique: c'est à ce point que je n'ai jamais vu*

incurable un malade qui, placé sous l'empire de l'agent stupéfiant, ait présenté une sensible exagération de tous les phénomènes pathologiques précédemment observés. Tandis que je n'ai jamais vu guérir un individu chez lequel l'opium ait déterminé de la dépression dès les premiers jours. En deux mots lorsqu'un malade subit l'entraînement opiacé, s'il s'agit en raison directe de la dose du médicament, il guérit; s'il s'affaise, au contraire, dès le début, il faut abandonner sur-le-champ cette médication, sous peine de voir apparaître bientôt des accidents." Cum ad proclivitatem congeneratam prognosis parum prospera est, hanc interdum esse causam putat, cur opium non sit praebendum.

Atque qua ratione medicamentum illud det, hocce modo describit: Homine maniaco in nosocomium excepto et anamnesi accurata constituta ordinantur aegroto primum balneae atque pridie medicamentum purgans, quas res enixe commendat; tum „*une portion de* 120 *grammes avec* 2 *centigrammes et demi ou* 5 *centigrammes d'extrait gommeux d'opium, à prendre dans le vingt-quatre heures.*" Deinde dosis quotidie 2½ centigr. op. extract. ita augetur, ut denique ad dosin quotidianam 20, 30, 40, 50 centigrammatum perveniatur. Ceterum progredientem narcotici dosin accommodandam esse ad exaltationem atque exaggerationem maniaci plus minusve crescentem, quae ubi sit ad summum aucta, medicamentam statim mittendum (id quod summum discrimen est inter utriusque medici rationes) curationemque exspectantem esse ineundam censet. Hac medicatione adhibita mirum esse ait, quantopere symptomata pathologica deminuantur atque diebus 8—35 interjectis aegrotum in eo esse ut convalescat. Res illas jam supra commemoratas, velut vo-

mitus, faucium siccitatem, reliqua in iis ille aegrotis observavit, quibus medicamentum quod omnino non respondebat dare desiit. Obstructiones medicatione apta remotae sunt.

Sanationum isto modo effectarum ratio in mania acuta subitoque exorta erat $3\frac{1}{2}:5$, in mania chronica diuque jam orta $1\frac{1}{2}:10$. Quae opii experimenta Legrand du Saulle in melancholia et monomania fecit, ea nullos eventus habuisse ipse profitetur. Atque plerumque ea medicinae forma, quae supra descripta est, usus est, interdum laudano liquido Sydenhami. Guttis 6 incipiens usque ad guttas 30—40 progressus est.

Atque inter Germanorum medicos primus Reil opium bonum animi perturbationum remedium commendavit. Dicit: „*In der asthenischen Verrücktheit mit Erethismus ohne materielle Ursache leistet dieses Mittel in hinlänglicher Gabe, zu* 1—4 *Gran, vortreffliche Dienste, es mindert die Reizbarkeit, beruhigt die heftigen Hirnwirkungen und macht Schlaf. Ferner leistet es gute Dienste bei Geisteszerrüttungen, die von Erkältung entstanden oder mit Schmerzen und Krämpfen zusammengesetzt sind.*“ (*Fieberlehre Bd. IV. S.* 460.) Idem illud in melancholia quoque inducendum censet ad jucundum vigorem revocandum. Friborg quoque (*Sammlung für pract. Aerzte Bd. III. St.* 2. *S.* 340) salubre esse dicit praesertim cum sit mania.

Friedreich opium morbis psychicis adhibendum esse negat nisi ad depressum cerebrum excitandum animique hilaritatem revocandam (*Blätter f. Psychiatrie I.Hft.* 1837).

In Germanorum physicorum medicorumque concilio XXII Dr. Herm. Engelken qui praepositus erat nosocomio psychiatrico Oberneulandiensi disputationem movit de opio morbis psychicis adhibendo. Commendabat illud „*bei frischen*

Fällen von Geisteskrankheit sowol Manie als Melancholie, da wo keine der gewöhnlichen Contraindicationen des Opium vorhanden seien." Ipsius ratio in eo cernitur quod opium in dosi progredienti ordinat: incipiens enim dosibus granorum 2—4 usque ad grana 8—10—16 progreditur horis 24 interjectis, quo tempore summam medicamenti vim evanescere refert. Neque magnam fieri congestionem neque aegrotos proclives ad somnum et quum status permittat ambulare affirmat. Obstructionem, etiamsi dies 8—10 maneat, nihil se curare, sanationem adduci solere post hebdomades 4—6, nonnunquam post menses 4—6, medicatione ista homines maniacos primum fieri magis exaggeratos, melancholicos vegetiores et vividiores, simulatque autem ad aptas opii doses perventum sit, deminutis morbi symptomatibus aegrotos serius ocius convalescere affirmat. Opio quattuor hebdomades dato obstructiones desinere sedesque esse magis legitimas. (*Allgem. Zeitschrift für Psychiatrie Bd. II. Hft. I. S.* 189. 1845).

Dr. Fr. Engelken illius patruelis rationem istam respiciens commentatione quadam „*über Anwendung des Opium*" ita sententiam suam aperit, ut et ipse illud remedium perquam egregium esse censeat, cui constitutio nervosa inprimis apta sit: tum potissimum esse adhibendum, quum major sit nervorum erethismus, malum igitur non esse dynamicum cernique praesertim in psychica exaltatione. Dosibus incipit granorum 1—2 et progreditur usque ad grana 3—4 pro dosi mane et vespere; hac ultima dosi optime propositum assequitur, majores doses raro ordinat. Exaggerationem et obstructionem, quae primum oriantur, mox evanescere dicit.

Pluribus illo teste valet in melancholiam hypochondria-

cam cum angore praecordiali conjunctam et ipse in Chorea St. Viti, quam sequuntur plus minusve animi perturbationes, dosi sensim progredienti bono eventu dedit. (*Allg. Zeitschr. für Psychiatrie Bd. V. Heft* 3. *S.* 370).

Alia commentatione „*über die Anwendung des Opium in Geisteskrankheiten und einigen verwandten Zuständen*" (*Allg. Zeitschr. f. Psych. Bd. VIII. H.* 3. *S.* 393) Dr. Fr. Engelken fusius super narcotico illo locutus in majoribus dosibus ordinandis summa opus esse cautione, qua neglecta mors celeriter adduci aut aegrotos stultos, stupidos, atrophicos fieri censet. Deinde commemorat, quibus viis organicis medicamentum vim exerceat, utrum nervos directe afficiat an secundarie postquam se assimulaverit et in corporis succos transierit. Licet omnino in hanc sententiam discedat, tamen negare se non posse confitetur illam quoque bonis eventibus esse demonstratam.

Tum ad confirmandum, quanto incommodo doses permagnae esse possint, Orientis et Persiae opiophagos affert, qui quod opii nimium consumant in miseram et dolendam sortem se injiciant. Simul autem scrupulosius cavendum esse negat ab opio adhibendo. Parvas doses granorum 1—2—3 in morbis psychicis per longum tempus sine periculo sumi posse, quin etiam hoc quoque modo bonos adduci eventus. Duos potissimum affert casus earum animi perturbationum quae in confinio sunt bonae malaeque valetudinis. Hic dedit 1—1½ gr. *per quattuor annos*, illic semel bisve quotidie Op. gr. 2 *per viginti quinque annos* paucis tantummodo intervallis 1—2—3 annorum. Doses granis 4 majores raro ordinavit.

Atque discernit positivam et negativam opii vim. Dicit: „*Kleinere Gaben (bis ½ Gr.) wirken vorzüglich auf das*

Unterleibsnervensystem beruhigend, Spannung und Krämpfe mildernd, secundär Galle und Hautperspiration vermehrend, zugleich aber auch kräftigend und belebend auf das Blut einwirkend, so dass dessen turgor vitalis *und Circulation schon wahrnehmbar vermehrt wird. Steigert man die Gabe bis zu 1½ — 2 Gran, so tritt neben dem noch etwas vermehrten Blutturgor auch eine erhöhte Action des Gehirns und Rückenmarks, bei verminderter Empfindlichkeit für äussere und innere Eindrücke und Reize ein. Diese erhöhte organische Thätigkeit reagirt auch auf den Geist nach seinen verschiedenen Richtungen. Die ganzen Denkoperationen gehen mit Leichtigkeit vor sich, was vorher nicht gelingen oder mit Klarheit heraustreten wollte, macht sich nun fast von selbst, die Ideenassociation stellt sich in grösserer Mannigfaltigkeit vor die Seele und Combination, Urtheile und Schlüsse gelingen um so besser, als sie von Muth, Frische, Freudigkeit des Gemüthes und einer höchst lebhaften Phantasie getragen werden.*" Dosibus 3—10 granorum magnis in aegrotis quoque psychicis soporem effici dicit. Se habere opium praesertim nervosae, quae dicitur, corporis constitutioni aptum atque hac sub conditione iis morbis, qui et in aucta exaltatione et in magna depressione cernantur, sive ut ipsius verba afferam: „*sowol bei den* vires exorbitantes *als auch bei den* vires languentes *mit bald erethistischem, bald atonischem Charakter.*"

Ad morborum jam formas universas transiens primum loquitur de melancholia hypochondriaca, quem esse finem vel transitum hypochondriae ad melancholiam censet. Iis aegrotis, qui semper animo depressi, languore magnoque angore vexati sint, quorum corporis functiones fere omnes normam

excedant, maximopere esse opium commendandum. In melancholia vera latiusque progressa vel vetusta quae conjuncta sit cum taedio vitae haud multum spei in opio ponendum, in melancholia attonita prorsus nihil illo effici. Adversus maniam Dr. Fr. Engelken morbo incipiente opium non adhibet: statim ad exaltationem sedandam magnas doses sumendas existumat, et in cerebri statu inflammatorio aut subinflammatorio, qui extrinsecus saepe accurate cognosci non possit, timendum, ne apoplexia oriatur. Tum demum, quum aegrotus magis sit tranquillus et sanguinis vasa minus sint agitata, se ordinare opium dosi progredienti gran. 1—3, interdum conjunctum cum hydrargyro muriatico miti aut digitali, praeterea regimen necessarium et praesertim balneas commendat. Neque in mania puerperali opium esse rejiciendum.

In mania vetusta, in vesania fixa (*fixer Wahnsinn, Monomania*) et vesania generali (*allgemeiner Wahnsinn*) opio adhibito eventus nullos vidit. Moriam (*Narrheit, Verwirrtheit, Verrücktheit*) sic definit: esse transitum (*Uebergangsform*) maniae et vesaniae generalis ad stupiditatem. Quae (moria) ubi magis ad vesaniam generalem inclinetur, doses parvas et mediocres aliquamdiu datas haud exiguae esse utilitati, praesertim cum malum haud nimis sit vetustum neque causae quae dicuntur morales, unde ortum sit, veluti onania penitus sint defixae neque universa nervorum functio debilitata. Postquam ille commemoravit aegrotis stupidis in laudano spem nullam esse ponendam, denique vim ejus laudat, quam, si mediis dosibus detur, exerceat in delirium potatorum et in Choream St. Viti (cfr. commentationem illius superiorem). In hac liberis decem quindecimque annos

natis opium dosi gr. $\frac{1}{4}$ incipiens dosi progredienti usque ad granum 1 ordinavit.

Deinde loquitur de opii contraindicationibus, quales sint inflammatio acuta, febris synochalis, sanguinis congestio et orgasmus, asthenia indirecta et torpida, quae cernatur in viribus penitus debilitatis aut ad debilitatem se inclinantibus. Obstructionem denique unum duosve dies manentem innoxiam se putare; cum autem contumacior sit, tertio quoque die Infus. Senn. cum Sal. amaro bono eventu se dedisse dicit.

Griesinger dicit opium ejusque praeparata in animi perturbationibus perpetuo non esse adhibenda atque cavendum, ne in chronicis aegrotorum insomniis detur, in quibus ipse potius balneas tepidas, occupationem et motum ordinat. Qui eventus opio morbo incipiente post insomnia, in tristi excitatione, in subitis paroxysmis agitationibus cum hallucinationibus atque in delirio potatorum facti sunt, eos nisi aliorum eventus non nominat. Praeparata apta esse morphium et pulv. Dower. (*Griesinger*, *Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten*, *Stuttgart* 1845).

Guislain narcoticum in melancholiis simplicibus medicamentum agnoscit. Tum potissimum bonos adduxit eventus cum melancholia „*von Schreck, Furcht, lebhafter psychischer Eindrucksfähigkeit, unruhigem Charakter und hysterischen Zufällen herkam.*“ In melancholiis compositis minus salubre esse vidit. Sanationum ratio 1 : 8. Et opio puro et morphio acetico usus hoc illi praefert. Opium purum in pilulis gr. $\frac{1}{2}$ quotidie 2—5 per 1—2 menses dedit. Morphium ordinavit in dosi tarde progredienti $\frac{1}{8}$—$\frac{3}{4}$ gr. per 1—4 menses. Interdum composuit Opium cum Extract. Belladonn., Hyoscyam., Lactucar. (*Guislain*, *klin.*

Vorträge über Geisteskrankheiten, *deutsch von Laehr, Berlin* **1854**).

Kieser vir doctissimus de his rebus haecce dicit: *„Opium und dessen Präparate können theils bei zu Grunde liegender grosser Reizbarkeit der Brust und Bauchganglien und in kleinen Dosen gereicht, dieselben direct beseitigen und dadurch Melancholie heilen, theils wirken sie in grösseren Dosen antagonistisch durch Erhöhung der gangliösen Thätigkeit selbst bis zur Erzeugung des oft fehlenden Schlafes, theils erzeugen sie erhöhte Thätigkeit des Blutsystems.* (*Kieser, Elemente der Psychiatrik, Breslau und Bonn* **1855**, *S.* **268**). Idem profert casum maniae: *„die secundär bei grosser psychischer Reizbarkeit und besonders auch des Ganglienlebens mit frequentem, kleinem Puls, Abmagerung in Folge ärmlicher Lebensart, Ueberreizung des psychischen Lebens, Kummer etc. entstanden war.“* Plures hebdomades aliis medicamentis adhibitis progredientibus dosibus Tinctur. Op. simpl., mane et vespere, gtts. **70**, bonum eventum adductum esse.

Flemming quamquam opii in morbis psychicis utilitatem agnoscit, tamen specificam illius vim, quae ad normam revocet nervorum vigorem (*Nervenvitalität*) immodice aut auctum aut deminutum, qualis sit in mania atque melancholia, sese confirmare non posse confitetur. Ille istam vim adeo coercendam esse censet, quae auctam nervorum fibrillarum sensibilitatem remanentem moderetur. Medicamentum tantummodo utile esse cognovit, cum aucta vasorum functio regulata erat et digestiones saepe perturbatae ad normam revocatae erant. Parvis jam dosibus opii puri et morphii (opii gr. $\frac{1}{4}$—**1**, morphii gr. $\frac{1}{12}$—$\frac{1}{8}$) sensibilitatem

auctam deminui et quietem nocturnam effici posse dicit. Compositio morphii et digitalis nonnunquam utilis ei visa est. (*Flemming*, *Pathologie und Therapie der Psychosen*, *Berlin* 1859).

Ex commentationibus nuperrime de opii usu editis duae potissimum nominandae sunt: Dr. Meyer Hamburgensis in mania recenti cum hysteria composita opium commendat. (*Allgemeine Zeitschrift für Psychiatrie*, *Bd.* 17, *Heft* 4, *S.* 453. 1860.)

Dr. Erlenmeyer Bendorfiensis libro praemio ornato fusius de illo disseruit (*Archiv der deutschen Gesellschaft für Psychiatrie*, *Bd.* 3 *Semester* 1). Opium in dosibus minoribus et majoribus prospere adhibuit deliriis variisque animi perturbationibus.

II. Observationes.

In nosocomio quoque magniducali Jenensi, in quo annis 1859 et 1860 munere medici assistentis functus sum, opium pluries adhibitum est.

Atque duce Doctore Xavero Schoeman, professore doctissimo, directore nosocomii psychiatrici praeceptoreque meo dilectissimo et summe venerando et ipsi mihi plures ejusmodi casus accuratius observandi oblata est copia. Hos atque nonnullas alias observationes, quae et ante et post munus susceptum de opii in morbis psychicis usu sunt factae, in iis quae sequuntur enarrabo.

Bona igitur Viri illius praestantissimi venia impetrata inspexi nosocomii psychiatrici annales. Hoc loco facere non possum quin Viro illustrissimo debitas meritasque grates agam.

Observatio I.

E. M. 43 annos nata, lanio cuidam nupta, decem liberorum mater, die 14 m. April. a. 1856 in nosocomium psychiatricum infertur.

Aegrota robusta corporis constitutione animique natura aestuosa usa est educatione non politiore quam qua erudiuntur civium liberi. Domesticis potissimum rebus operam dedit. Proclivitas ad morbum psychicum non innata.

1½ annum antequam curanda tradita est injuriarum actione amissa maxime erat affecta; interdum erroribus fanaticis in locis quibusdam religiosis urgebatur. Remedia purgantia hunc statum removisse dicuntur, et nihil remansit nisi singularis quidam oculorum status.

Februario medio anni 1856 paroxysmi maniaci apparuerunt, qui dum in nosocomium deferretur cum animo depresso alternasse dicuntur. Desiderium naturale admodum erat vegetum et luxurians (nymphomania). Aegrota excepta est pallida, pulsus frequens et durus, somnus interruptus, multorum facinorum sese accusat, denegat medicinam et cibos. Perscrutatio ostendit anterius portionis vaginalis labium tumidum, perrubrum orificium; uteri externum late hiat, ex quo liquor sanguineo-serosus profluit.

Quapropter injectiones ordinantur: Rp. Acid. muriat. dilut. ʒj, Gi. arab. ʒβ, Aqu. fontan. ℥vj. et hirudines ad portionem vaginalem.

Usque ad mens. Aprilem exeuntem status idem.

30 Apr. Nonnullos dies effusio sanguinis e vagina apparuerat, quae ab initio menstruatio habita mox metrorrhagia cognoscebatur. Extremitates frigidae tactu, arteriarum pulsus debilis. Ordinat.: Injectiones ex aceto et alumine

paratae. Intrinsecus: Elixir. acid. Haller. cum Tinctur. Cinnamom. Interdum aether sulphur. Nutritus tonicus.

Corporis vires crescunt. Animi status idem.

Fin. Maj. Depressio melancholica manet. Effusio ex orificio uteri fere eadem. Ob sedes retardatas: D. Ol. Ricin. ℥j.

25. Juni. Status idem. Contra catarrhum uterinum ferr. sulphur.

11. Jul. Effusio e vagina exigua, vires aegrotae multo auctae. Animus autem exaltatus; multa garrit clamitat; phantasmata versantur maxime in rebus libidinosis. Mania aucta opium adhibetur.

15. 16. 17. Juli mane et vespere Tinct. thebaic. gtts. 10.

18. et 19. - - - - - - - 15.

Status animi idem.

30. Juli. Medicamenti ultima dosis intermitteretur necesse erat, quum summa defatigatione et cephalalgia aegrota vexaretur.

Init. m. Aug. Status psychicus non melior; exaltatio in maniam furibundam transit, quapropter aegrotae isolatio et fixatio fieri debent.

M. Aug. medio. Status idem. Ordinatur: Decoct. Chin. (ʒjj) ℥vj.

M. Octobr. Menses large profluunt, aegrota tranquillior et prudentior.

M. Novbr. Status psychicus non turbatus. Aegrota vehemens desiderium capit visendi proximos, maxime liberos suos.

15. Decbr. Animo et corpore valet; demittitur ad tempus e nosocomio.

(Anno proximo — 7. Febr. 1857 — aegrota iterum in

illud traditur. Morbus psychicus nullam admittit sanationem. In hospitium hominum insanabilium anno 1860 transfertur.)

Observatio II.

M. Sch. nominata G., 31 annos nata, ancilla, innupta. die 3 mens. August. a. 1856 in nosocomium infertur.

Ingenio est pusillo. Educatione rebus familiaribus perturbatis usa est imperfecta. Libidinibus nonnunquam dedita laboriosa tamen et industria. Semper bona corporis valetudine. Proclivitas ad morbum psychicum minime congenerata, qui, quum mensibus modo profluentibus ante sex hebdomades tempestate subito coorta vehementer perfrixisset, incidisse dicitur. Menses subito profluere desierunt. Aegrota, quum excepta est, femina robusto et musculoso corpore, nigris capillis, fulvis oculis, animi natura phlegmatica. Oculi sunt inertes, os dimidio apertum aut compressum, anguli oris laxi, toto vultu totoque habitu apathia cernitur. Sensuum munera quidem naturalem modum continere videntur, sed aegrota motibus perpaucis et inertibus, voce tarda et tremula utitur. Semper fere eidem loco inhaerens vi demoveri debet. Prae se fert speciem melancholiae attonitae. Sedes tardae, pulsus paullulum excitati, 100 per horae sexagesimam. Menses cessarunt ex illa perfrictione. Perscrutatio interna fluorem album, orificium uteri et portionem vaginalem in posteriorem et sinistram partem tracta ostendit.

Propter amenorrhoeam aegrotae genitalibus quattuor hirudines applicantur. Intus: Rp. Tinctur. ferr. pomat. mane et vespere gtts. 10.

29. Aug. Aegrota plerumque torpens, ut antea, aegre loquitur; omnibus autem rebus animus interesse videtur. Noctu saepe inquietior, saepe e lecto exsilit, tum autem oculis clusis quieta constitit, Menses cessant.

4. Septbr. Incidunt ipsi maniae impetus; clamat, conviciis maledictisque utitur, praesertim noctu saepe per plures horas. Extremitates, collum, pectus perpetuo sunt mota. Salivae spumosae multum separatur. Exaltatio in rebus libidinosis.

Vesica glacie completa capitique applicita mania furibunda apparuit. Ordinatur opium:

die 5 m. Septbr. mane et vespere Tinctur. thebaic. gtts. 5.
- 6 - - *mane Tr. thebaic. gtts.* 5, *vespere gtts.* 10.
- 7 - - mane et vespere Tinctur. thebaic. gtts. 10.
- 8 et 9. - - - - - - 15.
- 10 et 11. - - - - - - 20.
- 12 et 13. - - - - - - 25.
- 14 et 15. - - - - - - 30.
- 16. 17. 18. - - - - - - 35.

Die 18 Septbr. Opium, quod vasa vehementius afficerentur, necesse erat, ut intermitteretur. Status psychicus non mutatus. Manus perpetuo tremulae. Sententiarum ordo plane distortus. Menses cessant.

Adhibetur rursus Tr. ferr. pomat. Interdum hirudines ad collum uteri permanente amenorrhoea applicantur. Fit quietior, decurrit autem ad stupiditatem. Postea paresis lateris dextri accedit. Insanabilis sustentanda traditur instituto cuidam.

Observatio III.

S. D. 25 annos nata, filia cauponis, innupta, die 2 m. Mart. a. 1857 in nosocomium psychiatricum exipitur.

Aegrota educatione accurata usa beneque morata temperamento est sanguineo-cholerico. Proclivitas ad morbos psychicos in familia adest: praesertim patruus multos jam annos sana mente privatus. Schola demissa matri potissi-

mum illa in multis rebus domesticis sustentandae dedit operam. Brevi tempore antequam morbo implicata est, subito mortuus est pater, mox etiam mater, quibus calamitatibus aegrotae animus vehementissime affectus est. Adde quod ipsi, quae esset filia maxima nata, res domesticae erant curandae. Sed hoc non satis: relinquebatur quoque a sponso.

Animo magis sedato aegrota erroribus vexatur moriundum sibi esse, tum sana mente se privatum iri. Postea insomniis potissimum et angoribus cruciata vitae suae ipsa finem imponere tentabat, quo factum est, ut traderetur curanda nosocomio.

Aegrota est statura gracili, oculis caeruleis, capillis fuscis. Voltu ingens indicatur dolor et luctus. Saepe diuque flet. Se ipsa accusat mortis matris et ob tentatam sui ipsius necem magna se manere supplicia opinatur. Dolore nonnunquam est admodum incensa. Adest ciborum appetitus; sedes normales, cordis pulmonumque munera haud anomala; plures hebdomades menses cessant.

Speciem habemus melancholiae conjunctae cum exaltatione taedioque vitae. Medicatio: Ad menstrua efficienda Cremor. tart. cum borac. et croc.; hirudines medicales Nro. 3 ad genitalia.

Die 19 Mart. In nosocomio quoque aegrota mortem voluntariam tentavit. Status psychicus fere idem: vehementius excitata. Ordinatur opium dosi progredienti:

bis quotidie mane et vesp. Tinctur. thebaic. gtts. 10. *Secundo quoque die quinis guttis dosis augetur.*

Die 24 April. *Postquam dosis tinct. thebaic. usque ad gtts.* 115 *bis quotidie aucta est*, opium intermittitur quod magna voluntas dormiendi et defatigatio oriretur. — Animus liberior. — Propter obstructionem: Ol. Ricin. cum

Sal. Glauber. Menses cessant. Quapropter ordinatio: Cremor. tartar. cum Borac. et Croc., hirudin. medical. Nro. 4 ad genitalia.

Die 12 m. Maj. Ob exaltationem auctam, cum nulla esset contraindicatio, opium dosi progredienti ordinatur.

Dantur primo Tinctur. Op. crocat. gtt. 10 *bis quotidie.*

Die 27 m. Maj. *Aegrota heri bis quotidie Tr. Op. crocat. gtts.* 85 *sumpsit.* Propter vehementem cephalalgiam et defatigationem intermittitur medicamentum. Aegrota tranquilla minusque animo depressa. Appetitus ciborum egregius, sedes haud anomalae.

Julius. Aegrota superiore mense admodum excitata; nunc interdum res perversas facit, interdum quietior rebus consuetis operam dat.

Octbr. Status, ut ultimo tempore, haud certus: nunc enim aegrota quieta, nunc admodum excitata. Menses cessant. Ordinat.: Cremor. tart. cum Borac. et Croc. (Ex voluntate consanguineorum aegrota demittitur. Anno interjecto, quum menses normales essent, convaluit. Nupta nunc valet.)

Observatio IV.

K. J., 17 annos nata, ancilla, innupta, die 21 m. April. 1857 in nosocomium psychiatricum infertur.

Aegrota humili loco nata admodum mediocri educatione usa est. Nonnullis abhinc annis pater mortuus est. Operam dedit rebus domesticis semperque se gessit diligentem et accuratam. Proclivitas ad animae perturbationes adesse dicitur. Morbus ortus esse fertur terrore aliquot hebdomadibus ante, quum mater os femoris fregisset, percussa. K. J. exagitata deliramenta loquebatur tribusque diebus antequam curanda delata est in maniam ipsam erupit.

Aegrota in sua aetate parva parumque exculta est: oculi sunt caerulei, capilli fusci, voltus magnopere excitatus, multaque faciei musculorum pars semper mota, oculi volubiles, non apti, qui in re defigantur. Summa exaltatio. Pulsus parum frequens neque durus. Ciborum appetitus; sedes normam non excedunt. Menses nondum profluunt. Hernia inguinalis externa sinistra animadvertitur.

Ad exaltationem illam sedandam opium datur. Aegrota sumit:

Die 22 m. April. *mane et vespere Tr. Op. crocat. gtts.* 10, *quae dosis quotidie quinis gtts. augetur.*

Die 2 m. Maj. *mane et vespere Tinctur. Op. crocat. gtts.* 40 *sumpserat.*

Die 3 m. Maj. Quum aegrota vehementes ventris dolores queratur, qui helminthiasi oriundae videntur, ordinatur: Rp. Semin. Cin. ʒjj. Syrup. Cinnamom. ℥j. quater quotidie cochlear j. Quater medicamentum sumptum est. Ejectis nonnullis ascaridibus lumbricoidibus medicamentum relictum.

Animi dispositio data dosi opii progredienti perbona est. Quietam se gerebat, loquebatur prudenter, operam dabat in negotiis muliebribus. Subito rursus apparuerunt paroxysmi maniaci. Aegrota clamitabat et tumultuabat. Fixatione opus erat. Sumit subito:

bis quotidie Tinct. Op. crocat. gtts. 20.

Proximo jam die tranquillior et prudentior erat.

Die 25 m. Maj. Hodie aegrota

mane et vespere Tinct. Op. crocat. gtts. 80

sumpsit. Oritur magna defatigatio et lassitudo; statim intermittitur medicamentum.

Die 27 m. Maj. Status psychicus multo melior, nam

aegrota est tranquillior, diligentior, prudentior. Corpore valet.

Die 11 m. Jun. Opio sanatio effecta. Aegrota prudenter et loquitur et agit.

Die 25 m. Jul. Ad tempus domum redeundi potestas ei datur et

die 8 m. Octbr. ad sanissimam mentem revocata demittitur.

Observatio V.

Ch. Z., figuli cujusdam vidua die 5 m. Maj. 1857 curanda in nosocomium mittitur.

Mala educatione usa est. Semper fuit incitata, prompta ad iram et invidiam. Nata 25 annos nupsit maritoque tres liberos peperit. Jam ex aliquo tempore vexata est angore quodam animi capitisque debilitate. Octo hebdomadibus priusquam in nosocomium inlata est, terrore quodam perculsa (filius criminis cujusdam accusatus in judicium adductus erat) inquietior fiebat, vel vehemens cum fletu lamentabatur; ab omnibus hominibus insidias sibi parari opinabatur suasque res eripi.

Aegrota est parva debilique statura, musculis laxis, capillis flavis. Pulsus plenus, 76. Adest ciborum appetitus, sedes normales. Voltus semper anxius neque tranquillus: aegrota semper queritur sui suorumque fortunam. Mane potissimum angor ille vehementissimus, minor post meridiem et vespere. Interdum inquies nocturna. Speciem habemus melancholiae hypochondriacae.

Praeter victum tonicum, ut constitutio corporis corroboretur, *opium dosi progredienti datur. Postquam aegrota gtts.* 30 *sumpsit*, intermitteretur necesse erat, quum magna

defatigatio et lassitudo membrorum vehemensque cephalalgia ortae essent. Roboratio continuatur.

27 Maj. Corpore aegrota valet et tranquillior est; tamen potissimum angoribus istis premitur. *Iterum adhibetur opium.* Dantur:

mane et vespere Tr. Op. simpl. gtt. 10,
quae dosis vespere quinis guttis augenda.

28 Jun. *Postquam aegrota pro dosi Tinctur. Op. simpl. gtts.* 60 *sumpsit* denuo intermitteretur necesse erat, quod musculi perquam essent laxati. Ingressus fiebat incertus, habitus capitis inconstans, pulsus parvus et frequens, angor permanet.

Mania postea orta Tinctur. Cannab. indic. dosi progred. datum (a 5—70 gtts. pr. dos.), quo nihil effectum est. Symptomata autem apparuere paralyseos omnino progredientis, qua mors aegrotae mox adducta est.

Observatio VI.

D. F. fabri cujusdam uxor, 61 annos nata, die 30 m. Aug. 1857 in nosocomium psychiatricum infertur.

Aegrota admodum mediocri eruditione usa est neque bonis moribus assueta. Proclivitas ad animae perturbationes sine dubio adest: namque pater, patruus, frater morbis psychicis laborarunt. Triginta abhinc annos nupta quattuor liberos peperit. Familia vitam misere et tenuiter sustentabat. Jam diu aegrota in paroxysmos angoris et inquietis erupisse dicitur saepeque fuisse tristis et afflicta. Paucis hebdomadibus ante quam in nosocomium inlata est una ex filiabus nondum nupta puerum partu ediderat. Angores aucti sunt; reliquit domum, putabat ultimis suppliciis se affectum iri et pluries sibi ipsa mortem consciscere studuit. Adde quod vexabatur a consanguineis.

Aegrota excepta macera maleque nutrita canis est capillis, caeruleis oculis angorem et pavorem indicantibus. Perpetuo lamentatur, multa gemit, torquet manus. Summo vexatur angore saepeque precatur, finis imponatur cruciatibus atque aerumnis suis. In nosocomio nondum mortem sibi ipsa parare tentavit.

17 m. Septbr. Adhibetur opium dosi progredienti. Dantur:

mane et vespere Tr. thebaic. gtt. 5;

augeatur dosis in dies guttis 5.

28 ejusd. *Postquam aegrota Tinctur. thebaic. gtts.* 55 *mane et vespere sumpsit*, intermittitur hodie medicamentum, quod vehemens vomitus ortus est. Status idem.

23 Octbr. Status psychicus non mutatus: summus angor. Ordinatio: Rp. Decoct. Chin. (ʒjj) ℥vj bis quotidie cochl. j. Qua ratione meliuscule fit aegrotae et corpore et animo. Demittitur domum m. Septbr. 1858 ad sanam mentem revocata.

Observatio VII. *)

F. B. 39 annos natus, pistor, die 25 Septbr. 1857 curandus nosocomio traditur.

Quae qualesque fuerint illius res priores nil constat. Ex uxore sua excepit plures liberos. Postero tempore parcissimo usus est victu. Animus semper fuit concitatus, superbus et sublatus. Plures menses antequam nosocomio inlatus est, prima animae perturbationis apparuere symptomata.

---

*) Hic casus notabilis potissimum est propter hypotheticum (*bedingungsweisen*) opii effectum; quare licitum mihi putavi hic eum interponere.

Magna moliebatur: aedificia magnifica et splendida exstruere volebat. Ubi illi aliquis obloqueretur, ira exardescebat suosque nimis aspere tractabat. Praesertim id agebat, ut domum suam incendio consumeret.

Aegrotus corpore est bene nutrito, statura robusta, capillis fuscis, caeruleis oculis. Corpus muneribus legitime fungitur. Species nobis praebetur monomaniae superbae. Haud parvo tempore interjecto paroxysmi animadvertuntur maniaci. Impedita digestio mox aptis remediis adjuvatur.

Postea, quum paroxysmi illi iterum atque denuo augerentur, *ab 17—28 Mart. opium dos. progr. adhibetur.*

Dosis gr. 4 incepta augetur usque ad gr. 12 in pulv. Dower. Aegrotus omnino Op. pur. ʒj. sumpsit. Tranquillior tantummodo fiebat, quum opium balneis tepidis sumptis datum est.

Remedium, quod haud diu efficax erat, intermittitur. Postea incidit Moria, denique symptomata paralyseos omnino progredientis, unde mors oritur.

Observatio VIII.

F. D. 37 annos nata, rustica, innupta, die 26 m. Aprl. 1858 in nosocomium infertur.

Aegrota jam 18$\frac{53}{54}$ sex menses in nosocomio alio versata erat. Dicunt esse illam vehementissimam, malignam, jurgiosam. Morbus ante sex abhinc annos incepisse dicitur, qui unde sit ortus, nil certi refertur: conviciis, probris injuriis, minis in homines culpae insontes cumulandis primum se ostendit.

Corpore est male nutrito, statura gracili, capillis nigris. Voltus tristitiam prae se ferens, oculi plerumque in terram dejecti, sublati haud diu in re defixi motus tardi. Nonnunquam per aliquot horas ipsa plane iners et capite vel toto velato vel manu fulto in cogitatione defixa, interrogata vix respondet.

Laborat melancholia. Corporis munera nihil praebent anomali, menstrua paullulum parca. Semper lamentatur, solatium est irritum.

Hic aegrotae status per annum 1858 fere immutatus. Dabatur inprimis Tinctur. ferr. pomat. et victus corroborans.

Anno quoque 1859 haud magna mutatio, symptomata melancholiae nostalgicae potissimum animadvertuntur. Postea saepe vehementer excitata vestes discindit, lamentatur. Ad tempus quieta rebus commodis operam dat.

Die 5 Novbr. Opium progredienti dosi conatus causa adhibetur. Ordinatur igitur:

quotidie mane et vespere Tinctur. Op. simpl. gtts. 5.

16 Novbr. Status idem. Sedium ratione habita datur:

quotidie mane et vespere Tinctur. Op. crocat. gtts. 15.

Die 22 Nov. Animi status idem. Semel aegrota ita exagitata erat, ut ab aegrotis reliquis unum diem sejungeretur necesse esset. Ordinatio:

quotidie mane et vespere Tinctur. Op. crocat. gtts. 20.

Die 27 Nov. Status idem. Aegrota non quietior est. Ordinatio:

quotidie mane et vespere Tinct. Op. crocat. gtts. 25.

Die 1 Dec. Status idem. Ordinatio:

quotidie mane et vespere Tinct. Op. crocat. gtts. 30.

Augetur Tinct. Op. dosis usque ad diem 30 Dec.; *postremo aegrota mane et vespere gtts. 60 sumpsit.* Status psychicus non mutatus est. Aegrota corpore valens usque ad hunc diem in nosocomio versatur.

Observatio IX.

A. S. Hungara, uxor sacerdotis evangelici, die 12 mens. Oct. 1858 in nosocomium psychiatricum inlata est.

Aegrota semper fuit animi natura facile excitanda mente-

que praeter modum elata. Bona indole praedita eleganti accurataque usa est educatione; nupsit sacerdoti cuidam evangelico, cui peperit quattuor liberos. Quocum, qui iterum atque denuo sedem muneraque mutaret, vitam degit perquam turbulentam. Ille quum nonnullos abhinc annos ipsa invita sacerdotium in oppidulo quodam gerendum suscepisset, ab illo sejuncta cum duobus liberis minimis natu vixit. Paucis, diebus antequam curanda nosocomio tradita est, prima morbi symptomata animadversa sunt. Admodum erat animo excitata, summis angoribus pressa, non dormiebat, mulierem sese esse opinabatur flagitiosam, sua culpa fore ut maritus a munere sit submovendus. Laborabat melancholia. Subito ad tantam maniam erumpit, ut se suosque liberos interficere tentet.

Aegrota plerumque firma corporis valetudine fuit. Anno 1856 perpessa est typhum et jam diu laboravit ex menstruationibus tam profusis, quae haemorrhagiae ipsae fierent. Ea periodus menstrualis, quae initio morbi antecessit, non fuit contra naturam. Proclivitatem ad animi perturbationes congeneratam esse non refertur, quamquam nonnulli ex consanguineis sibi ipsi mortem conscivisse dicuntur.

Aegrota excepta hancce praebet speciem: parva quidem sed gracili statura, non tot aetatis esse annis videtur, quot re vera est. Capillis nigris, oculis fuscis semperque motis, interdum compressis, vultibus alacerrimis. Affecta est mania, angoribus praeterea cruciata; varia scelera sese perpetrasse dicit, quorum maximae sibi sint poenae pendendae. Mortem sibi ipsa consciscere tentat. Semper sibi insidias parari opinatur. Deinde mania furibunda erumpit. Animadvertuntur hallucinationes, auditus potissimum atque illusiones. Paullatim apparent ideae superbae (monomania superba). Saepe contemptim loquitur de aliis, lubenter de ipsius dignitate, vel

divinitus se esse inflammatam putat. Menstruatio legitima, paullum liquida. Varia variis temporibus remedia adhibentur, ac primum quidem Tart. stibiat. in solutione, deinde cum fierent congestiones, pulv. temper. etc., tum, ubi vires comminuerentur, China, Ammon. hydrochlorat. ferrat. Continens lactis diaeta tentatur.

5 Nov. Denique, quum exagitatio atque irrequies manerent, opium dos. progred. datur. Ordinatur:

a die 5	usque ad	10 Nov.	bis	quot.	Tinct.	Op.	simpl.	gtts.	5
„ 10	- -	16	-	-	-	-		-	10
„ 16	- -	22	-	-	-	-		-	15
„ 22	- -	28	-	-	-	-		-	20

28 Nov. Status idem. Aegrota minime quieta, parum dormiens, excitata, proclivis ad res maniacas. Ordinatio haecce:

a 28 Nov.	usque ad	1 Dec.	bis	quotidie	Tt. Op.	simpl.	gtts.	25
- 1 Dec.	- -	4	-	-	-	-		30
- 4 -	- -	8	-	-	-	-		40
- 8 -	- -	12	-	-	-	-		45
- 12 -	- -	16	-	-	-	-		50

20 Dec. Status idem. Aegrota contumax, corpore valet. Ordinatio:

a 20 Dec. usque ad 24 Dec. bis quotidie Tinct. Op. simpl. gtts. 60

24 Dec. Nil efficitur. Hodie queritur dolores capitis et lassitudinem. Pulsus tranquillus. Opium intermittitur. Postridie corpore valet.

Morbi forma aegrotae, quae adhuc in nosocomio versatur, a monomania transit in moriam.

Observatio X.

J. K. 44 annos nata, lanii cujusdam filia, innupta, primum in nosocomio psychiatrico a die 25 m. Nov. 1845 usque ad diem 25 m. Jun. 1846, iterum a 9 Mart. 1847 us-

que ad **24** Febr. **1848** versata, tertium recepta est **23** Febr. **1859.**

Confessione catholica erudita usque ad **14** aetatis annum scholam urbanam frequentavit. Educationem, qua usa est in domo paterna, bonam haud dixeris. Animi natura semper fuit incitata et iracunda, sanguineo-cholerica. Proclivitas ad morbos psychicos congenerata. Pater ejus cauponulam quoque exercebat a volgo frequentatam; filia mox asuescens vino frumento expresso admodum adolescentula dissolutae luxuriosaeque vitae sese dedidit. Sacris publicis ab anno aetatis quarto decimo nunquam adfuit. Usque ad **20** aetatis annum in domo paterna versata est, deinde per aliquot annos, servili conditione usa, patre mortuo domum rediit. Paullo post omnibus bonis in creditorum gratiam venditis illa domo relicta aliquamdiu ubique vagata immodice et intemperate vixit. Anno **1845** prima animae perturbationum apparuerunt symptomata. Putabat inspiratam sese esse divinitus, sanctam Mariam divino splendore circumfusam in somno vidisse dicentemque audisse, se esse a deo destinatam, quae improbos flagitiososque hujus terrae magistratus deleret (monomania religiosa); ad hoc hallucinationes faciei: quapropter, ut jam supra commemoratum est, bis in nosocomium recepta ad saniorem mentem revocata.

Iterum in nosocomio versata puerum peperit, qui paullo post partum editum mortuus est. Deinde domum demissa, quod tenuissimo vixit cultu, a magistratu multiplici modo sustentata est. Quae quum ad negotia constituta redigi nequiret dissolutamque vivere mallet vitam, semper diligenter custodiretur necesse erat. Anno **1858**, quum urbs patria ingenti comprehenderetur incendio, J. K. rursus adeo est excitata

ut mox in maniam furibundam incideret, quo factum est, ut tertium in nosocomium psychiatricum deferretur.

Aegrota est media gracilique statura, fuscis capillis, oculis caeruleis tum amore flagrantibus, tum odio excitatis, tum, ubi de rebus sacris agatur, divino quasi impetu ardentibus. Corporis munera, praesertim menstrua, non contra naturam; pulsus **60 — 65**, ubi aegrota sermone vehementer excitatur, **70 — 75.** Aegrota nocte potissimum multa hariolatur atque precatur et somnambulismum simulare amat (*sie liebt somnambulistische Spielereien*), quae mox animi exaggeratio intelligitur. Ideae in rebus sacris fixae caedemque diversissime animadvertuntur atque hallucinationes visus.

Paucis hebdomadibus in nosocomio peractis aegrota vehementissime excitata vim manusque infert iis, quae sociae sunt morbi, multa clamitat spiratque maledicta et convicia. Ab aliis igitur sejuncta vi coërcetur: deinde impetibus sedatis diligenter negotiis commodis dat operam.

Sub exitu anni corpore muneribus legitime fungenti rapitur aegrota ingenti illa vehementique exagitatione, quapropter opium dos. progred. aliquamdiu adhibendum esse visum est. Ordinatur igitur:

a **5** usque ad **10** Nov.	bis quot. Tr. Op. simpl. gtts.	**5**
a **10—16**	- - - - - - -	**10**

Sedium causa ordinatio:

a **16—22** Nov.	bis quotidie Tinct. Op. crocat. gtts.	**15**
a **22—28**	- - - - - - -	**20**
a **28 — 2** Dec.	- - - - - -	**25**
a **2 — 4**	- - - - - - -	**30**
a **4 — 8**	- - - - - - -	**35**
a **8—12**	- - - - - - -	**45**
a **12—18**	- - - - - - -	**50**

19 m. Dec. Status plane idem. Facies gilva, eadem est exagitatio. Munera corporis legitima. Menses cessant.

a 21 usque ad 28 Dec. bis quotidie Tinct. Op. crocat. gtt. 60 ordinantur, quo remedio nihil efficitur.

Aegrota usque ad hunc diem versatur in nosocomio psychiatrico.

Observatio XI.

K. Sch. 59 annos nata, vidua domini cujusdam praedii, die 2 m. Sept. 1859 iterum in nosocomium infertur, postquam a 7 Jun. usque ad 9 Sept. 1858 in eo versata est.

Educatione usa est bona, ipsa religiosa, optime morata, praesertim munificentissima. Animi dispositio sanguinea, interdum perquam vehemens. Marito mortuo praedium filio administrandum datum est; tres filiae nuptae sunt. Opinabatur illa se esse ab liberis suis neglectam, parum se occupatam negotiis, potare amabat, quae animum fervefaciant. Martio mense anni 1858 prima animae perturbationis apparuerunt symptomata. Fiebat acris et prona ad iram, loquebatur deliramenta, clamitabat, venenum in se comparari dicebat. Libido erat excitata. Tribus mensibus in nosocomio peractis ad sanam mentem revocata domum demissa est.

Aliquamdiu quieta sanaque mente fuit et filias intervisit. Postea crebro sumpto, opinor, vino in eundem morbum istum recidit; qua de causa die 2 m. Septbr. anni 1859 iterum curanda tradita est.

Aegrota egregio robustoque est corpore, capillis canis, oculis caesiis; voltu suspenso incertoque. Pulsus est plenus, ictus 90; faciei color exanguis; corporis munera non contra naturam, noctes plerumque vigilantur; exagitatio autem tanta est, ut ipsi paroxysmi maniaci fiant itaque aegrotae a sociis demotae et vi coercitae in balneis tepidis aqua friguida superfunde-

tur necesse sit. Quum excitatio permaneat nullaque sit contraindicatio, *inde a die* 5 *m. Novbr. opium dos. progred. aegrotae offertur.*

A 5 u. ad 10 Nov. bis quotidie Tinctur. thebaic. gtts. 5.
- 10—16 - - - - - - 10.

16 Novbr. Aegrota licet saepe sit perquam exagitata, tamen tranquillior videtur. Fixatio desinit. Ordinantur:

a 16 u. ad 22 Novbr. bis quotidie Tinctur. thebaic. gtt. 15.

21 Novbr. Aegrota in dies quietior videtur, somnus melior, munera corporis bene. Ordinatio:

a 22 u. ad 28 Novbr. bis quotidie Tinctur. thebaic. gtts. 20.

28 Novbr. Denuo exagitatur, clamitat cum summa verborum contumelia. Ordinatio:

a 28 Nov. u. ad 2 Dec. bis quotidie Tinct. thebaic. gtts. 25.

2 Decbr. Interdum contumax, praesertim immunda. Ordinantur:

a 2 u. ad 5 Decbr. bis quotidie Tinct. thebaic. gtt. 30.
- 5—8 - - - - - - 35.

Quamquam negari nequeat aegrotam in universum tranquilliorem esse factam, tamen interdum exagitata variis scurrilibusque occupatur rebus.

a 8 u. ad 12 Decbr. bis quotidie Tinct. thebaic. gtts. 45.

13 Decbr. Hoc medicamentum, quum aegrota pleuritide vexaretur, intermissum.

21 Dec. Pleuritis plane evanuit. Aegrotae animus tranquillior, liberior, facilior. Immunditia prorsus abest. Exiguis nonnullis interpellationibus exceptis inclinata ita jam in melius aegrotae valitudo erat, ut die 28 m. Jun. anni 1860 sanitate recepta domum redire posset.

Observatio XII.

R. H. 46 annos nata, uxor magistratus cujusdam, die 6

m. Novbr. 1859 in nosocomium infertur. Confessioni evangelicae addicta ea qua par est educatione usa est. Constitutio est nervosa, animi natura sanguinea, semper alacris, interdum vehemens, sibi ipsi indulgens.

Undeviginti annos nata a magistratu quodam in matrimonium ducta duobus annis interjectis vehementi quodam terrore percussa mortuum puerum partu edidit: ex quo tempore iterum gravida non fuit. Res domesticas parum curans neque certis negotiis assueta operam dare amabat fabulis Romanensibus legundis, ambulationibus aliisque societatis oblectamentis. Fere semper firma valetudine usa est; proclivitatem ad animae perturbationes ei non esse innatam constat.

Quattuor menses, antequam nosocomio curanda tradita est, prima animae perturbationis indicia animadversa sunt. Quum aemulatione, ut dicunt, incensa temere et inconsiderate in ancillam consuluisset, adducta est in judicium, qua quidem re perquam exagitata est. Namque paullo post angoribus pressa insomniis fatigatur et maximopere sollicita sibi ipsa mortem esse conscituram minatur.

Aegrotae receptae dispositio speciesque erat haec: media gracilisque statura, corpus non nimis musculosum, cutis temperatura modo frigida, modo calida, arteriarum pulsus parvi, stridentes, frequentes; lingua purgata, ciborum appetitus adest, sedes nonnihil retardatae; pulmones et cor secundum normam muneribus funguntur. Faciei color pallidus, voltus alacer, oculi caesii, arguti, magnam indicant inquietem. Aegrota ingenti vexata angore in genua procumbit, manibus junctis multa precatur cum fletuque et luctu queritur. Opinatur quod in maritum peccasset a deo poenis sese vexari. Nocte vehementer exagitata e lecto exsilit, in-

sana se esse mente negat, plane desperata videtur. Speciem praebet melancholiae agitantis.

Balneis tepidis sumptis Ol. Ricin. ℥j. sedium retardatarum causa adhibetur, deinde opium dos. progred. ordinatur: a 9 u. ad 11 Novbr. bis quotidie Tinct. thebaic. gtts. 5.

11 Novbr. Status idem, sedes normam non excedunt.
a 11 u. ad 14 Novbr. bis quotidie Tinct. thebaic, gtts. 10.
- 14—17 - - - - - - 15.

Aegrotae dispositio in universum eadem, nonnihil tranquillior facta, sedes per duos dies cessaverant, tum vero legitimae. Ratione earum habita Tinct. Op. crocat. ordinatur. Sumit aegrota:

a 17 u. ad 22 Nov. bis quotidie Tinct. Op. crocat. gtts. 20.
- 22—28 - - - - - - - 25.
- 28 Nov. u. 2 Dec. - - - - - - 30.
- 2—4. Decbr. - - - - - - 35.
- 4—8 - - - - - - - 40.

Aegrota in universum tranquillior, sed tota fere nocte insomnis. Sedes normam non excedunt. Ordinatio:
a 8 u. ad 12 Decbr. bis quotidie Tr. Op. crocat. gtts. 50.

Corripi se vertigine, subito animum interdum relinqui corque salire dicit, quae molestiae quamquam celeriter evanescunt, tamen opium intermittitur. Aegrotae tranquilliuscule est, neque nox plane insomnis.

25 Decbr. Subito in tantam animi exagitationem erumpit, ut sibi ipsa mortem consciscere tentet et vi coërcenda sit. Sumit dosi celeriter progredienti:

a 25 usque ad 26 Decbr. bis quot. Tr. Op. crocat. gtts. 50.
- 26 — 28 - - - - - 60.
- 28 — 30 - - - - - 70.

31 Decbr. Vomitus haud magnus, sed frequens evasit,

ciborum appetitum deesse aegrota queritur. Laudanum intermittitur. Animus tranquillior.

Opium huic aegrotae denuo adhibitum non est. Atque paroxysmi illi inquietudinis vicissim apparuerunt, dum versata est, in nosocomio. Laborabat quoque ad tempus furunculosi. Paullatim tranquillior facta die 24 m. Maj. a. 1860 sana mente domum remissa est.

Observatio XIII.

W. G. vidua uxor pistoris die 19 Maj. a. 1860 nosocomio curanda traditur.

Aegrota evangelica fide instituta bona educatione usa est, bonis moribus, natura animi sanguinea. Vitam degit diligentem, laboriosam, simplicem. Sex menses antequam in nosocomium excepta est prima animae perturbationis symptomata animadversa sunt: semper se recipiens et removens ab hominum societate crimini sibi dedit, quod distributis suis rebus filiam circumvenisset ingentique angore pressa vitae suae in undas se projicens finem imponere voluit. Laborabat quoque deficiente ciborum appetitu corde saliente et obstructione. Quinque menses priusquam curanda delata est menses cessaverant. Paroxysmi illi angoris usque ad mensem anni 1860 Januar. permanserunt, quo tempore res more furibundorum gessit. Proclivitas non innata.

Aegrota excepta est media statura, beneque conformata, facie pallida et compressa, voltu summos angores indicanti. Neque edere neque potare vult, quia opinatur omnia in pectore haereri. Paroxysmi illi frequentiores: cum fletu et gemitu putat se liberos interfecisse. Denique vim manusque infert aliis.

24. Jul. Ad exagitationem deminuendam opium adhibetur. *Ordinatur pulv. Doweri sumitque aegrota:*

pulveres quattuor cum singulis }
— — — binis } granis opii puri.
— — — quaternis }

Quotidie vespere pulvis.

Obstructio nulla, semel vomitus: medicamentum paullulum intermittitur. Ordinatio:

a 8 u. ad 13 Aug.	vesp.	Pulv. Dow. gr.	20	(Op. pur. gr. 2.)
d. 14 Aug.	-	- - - -	40	(- - - 4.)
d. 15 Aug.	mane	- - - -	40	(- - - 4.)
Fit vomitus.				
d. 15 Aug.	vespere	- - - -	40	(- - - 4.)
d. 16 Aug.	mane	- - - -	40	(- - - 4.)

Frequentissimus vomitus: medicamentum intermittitur. Animus tranquillior. Ordinatio:

die 18. Aug. Op. pur. gr. 4. die 21. Aug. Op. pur. gr. 4.
- 22. - - - - 5. - 24 - - - - 6.
die 29. Aug. gr. 7.

Die 29 Aug. Aegrota cruciatur cephalalgia et vomitu. Ordinatio: Infus. Chamomill. Exagitatio desiit, animus clarior.

Die 1 Sept. Op. pur. gr. 8.

Vertigo, cephalalgia, nausea; arteriarum pulsus frequentes, exagitatio aliquantulum deminuta. Ordinantur balneae tepidae.

Aegrota, quae adhuc in nosocomio detinetur, paucis mutatis in eodem symptomatum complexu versatur.

Observatio XIV.

C. L. famulus summi cujusdam magistratus 50 annos natus die 24 Jul. 1860 in nosocomium infertur.

Fide evangelica institutus ea qua par usus est educatione; propriae ingenii voluntates (*Neigungen*) aut idiosyncrasiae haud notae: natura animi cholerica, dispositione innata nulla; firma semper corporis valetudine. Haud longo tempore, antequam nosocomio curandus traditus est, perfrixerat pedibus in aqua frigida positis. Die 15 Jul. 1860 prima animae perturbationis symptomata apparuerunt: fiebat garrulus, importunus, sollicitus, manus inferebat aliis, omnia demolitus est.

Aegroti excepti dispositio et species haec: statura media, gracilis, macra. Faciei color pallidus, genae macilentae, voltus suspensus, incertus, confusus, oratio diffusa.

Postridie mania prorumpit; aegrotus nunc quietus nunc furiosus.

Ordinatio:

a 7 u. ad 9 Aug. mane et vesp. Pulv. Dow. gr. 10 (Op. pur. gr.1)
„ 9—12 - - - - - 20 - - - 2)
„ 12—15 - - - - - 30 - - - 3)
„ 15—16 - - - - - 40 - - - 4)

Vomitus oboritur. Medicamentum intermittitur. Ordinatio:

Die 29 Aug. vespere Pulv. Dow. gr. 70 (Op. pur. gr. 7).

Somnus quiesque nocturna, multa delirat. Ordinatio:

Die 1 m. Sept. vespere Pulv. Dow. gr. 80 (Op. p. gr. 8).

Quies; pupillae contrahuntur, arteriam pulsus tantummodo 60. Postridie mane summa exagitatio exoritur. Opium intermittitur. Ordinantur balneae tepidae.

Aegrotus adhuc in nosocomio versatur et exagitatus est quamquam maniacus furibundus vocari non potest. Opiniones ejus diffusae; deliramenta loquitur.

III. Epicrisis.

Atque haec quidem hactenus, quamquam haud ignoro me hoc tot tantarumque rerum gravissimum argumentum adumbrasse tantummodo et extremis quasi lineis descripsisse. Sed pauca addere mihi liceat, quae sufficere reor ad intelligendum, quam diverse homines docti de narcotico illo in morbis psychicis, qualescunque sunt, adhibendo judicent.

Atque narcoticum illud quam vario modo praeparatum, variis dosibus variisque morbis psychicis adhibitum sit, ex iis quae supra referimus videri licet. Alii enim parvis tantummodo vel mediis dosibus sumendum esse censent gravissimeque monent, ne nimis magnae dentur: alii non dubitant ordinare maximas; quin quotidiana dosi gr. 64 datum esse vidimus.

Quum Michéa in dando illo aeque caute et progrediatur et degrediatur, Dr. Legrand du Saulle maxima dosi oblata medicationem subito interrumpit. Quum Dr. H. Engelken gr. 8—10—16 dos. progred. det: Dr. Fr. Engelken parvas mediasque doses vel diutissime neque unquam plus gran. 4 offert, atque contendit majoribus dosibus et maximis effici, ut aegrotus stultus, stupidus, atrophicus fiat morsve celeriter adducatur.

Medicamentum illud adhibendum esse censet Dr. Legrand du Saulle, quamquam in chronicis casibus maniae spernendum esse negat, maniae praecipue acutae; Dr. Hermannus recentibus potissimum maniae et melancholiae casibus; Dr. Fr. Engelken praesertim melancholiae hypochondriacae, sub certis vero quibusdam conditionibus maniacis aliisque animae perturbationis formis. Intervallorum intercedentium, velut obstructionis, in adhibendo narcotico alius rationem diligenter habet, nullam alius. Hic illo utitur medicatione praeparanti, ut ita dicam, ante facta, ille hac omissa. Prosperam prognosin alius ponit in aegroti exagitatione usu illius aucta, haud respicit alius. Hic opium purum ille morphium aceticum laudat. Usum opii amplificat hic, ille coërcet. Hic brevi, ille longo temporis spatio interjecto vim et effectum animadvertit.

In nosocomio psychiatrico Jenensi medicamentum illud in variis morbi formis stadiisque, variis dosibus et praeparatis, tardius celerius ratione potissimum habita symptomatum inde ortorum adhibitum esse ex iis, quae supra referimus, liquet. Eventus autem omnino docuit nimiam illi fidem non esse tribuendam. Quo quamquam saepe quies parumper vel ad tempus adducta est, semel tamen, ubi erat mania acuta, sanationem esse subito effectam observatione quarta vidimus. In aliis casibus atque in iis potissimum qui diu jam permanebant aegroti aut sanari non poterant aut alio remedio aliaque via curandi erant aut exspectativa ratione convalescebant. Putaverit quispiam observatione tertia morbum offerri aptissimum, cui quamquam adsit vitae taedium, quam Fr. Engelken contraindicationem quandam esse putat, et quamquam adsit proclivitas innata, quam Dr. Legrand du Saulle enixe nominat, opium adhibeatur. At re vera nihil illo effectum est, aegrotaque nosocomio relicto post annum fere plane convaluit. Observatione quoque duodecima morbus offertur, quem adhibendo opio aptum dixerim; sed etiam hic, quamquam aliquantulum quietis effecta est, sanatio ipsa non opio, sed rationi exspectativae et praesertim disciplinareae debetur. Ceterum inspicias observationes ipsas.

Quodque pertinet ad medicamenti formas aut praeparata inq uibus opium aptissime dandum est, formae simpliciores Tincturae Op. simplic. et Tincturae Op. croc. lubentissime sumpta videntur. Neque scio an pura pulveris forma dosis melius possit exigi. Minoribus pulv. Dow. datis, fortasse dosi progredienti rad. Ipecac. vomitus effici videtur, qui Tct. thebaica data aut plane non aut ex majoribus dosibus oriatur.

Summam opii dosin in observationibus nostris bis quotidie fuisse vidimus Tinct. thebaic. gtts. 115 (gtts. 18 = gr. j secundum Ph. Bor.), minimam gtts. 5. Atque dosis augeri solebat mane et vespere quinis, nonnunquam denis guttis. Pulvere Doweri illud dosi varie progredienti dabatur in dies singulis, binis, ternis granis aucta.

Sedes narcotico raro retardatae vel retardatae mox cedebant curationi aptae. Res singulares, quae et minoribus et majoribus dosibus medicamenti illius sumptis apparuerunt, qua de causa illud interdum aut ad tempus aut plane omittendum erat, sunt languor, defatigatio, tremor membrorum, cephalalgia, vehemens vasorum excitatio, vertigo vomitus, quae signa narcosis omnino praebet.

Acta de veris indicationibus opii in animi perturbationibus adhibendi ad finem esse perducta ne putaveris; immo incipienda sunt. Experimenta continuabuntur: alia aliud ostendent. Atque hasce meorum studiorum primitias quasi lapidem parvum modeste adlatum aedi ingenti benevole excipiatur oro, cui inscriptum esse voluerim illud: „in magnis voluisse sat est."

Pag. 5 lin. 9 ab init. deleas *non*.

Theses defendendae.

I.

In Psychiatria coërcitiones adhibendae sunt.

II.

Ad psychoses sanandas nosocomium psychiatricum maxime prodest.

III.

Disciplina princeps remediorum in Psychiatria.

IV.

Pyromania non exstat.

V.

Typhus et tuberculosis sese non excludunt.

VI.

Perforatio foetus viventis non illicita est.